

# CONSELLO DA CULTURA GALEGA

## GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA

42

### 1228/07/02. A Coruña. (1198/02/20)

*Afonso IX confirmalle ó mosteiro de Toxos Outos a súa propia carta na que confirmaba, pola súa vez, tódalas incautacións feitas en favor do mosteiro polos seus antecesores (doc. n.º 39).*

B.- Tombo, ff. 28v-29r.

Transcr.- GONZÁLEZ, J.- *Afonso IX*, doc. n.º 571.

Rex.- SÁNCHEZ BELDA, L.- *Documentos reales de la Edad Media...*, doc. n.º 606.

Qvoniam cera res est tam fragilis quam putribilis, iccirco ego Adefonsus, Dei gratia rex Legionis et Gallecie, instrumentum concessionis et confirmationis instrumentorum que dominus imperator et pater meus monasterio de Togis Altis concesserunt per quod etiam ego eidem monasterio concessi furtum, homicidium, rausum, fossadariam aut fazendariam et alias calumpnias et foros regios de hominibus in hereditatibus suis commorantibus et excusavi res ipsius monasterii a portatico per totum regnum meum instrumentum inquam predicto monasterio sub sigillo cereo a me concessum innouans ad perpetuam rei memoriam et ut concesso et confirmato nec non excusatio ipsa robur obtineat perpetuam firmitatis sub bulla plumbea de uerbo ad uerbum iussi presentibus annotari tenor autem ipsius instrumenti est iste:

In nomine Domini nostri Ihesu Christi, amen. Magestatis regie inter est sancta loca et religiosas personas diligere ac uenerari et ea que eis a suis sunt antecessoribus preconcessa confirmare manutenere et totis uiribus deffensare, iccirco ego Adefonsus, Dei gratia rex Legionis et Gallaetia, filius illustrissimi ac uictoriosissimi regis domni Fernandi, vna cum vxore mea regina domna Berengaria per hoc scriptum notum facio uniuersis presentibus et futuris quod concedo et confirmo Deo et monasterio Sancti Iusti de Togis Altis et uobis domno Petro eiusdem monasterii abbati ac uestro capitulo et uestris successoribus imperpetuum cartas illas de incautatione et deffensione et deffensione quas eidem monasterio auus meus imperator et postmodum pater meus fecerunt et perpetuo confirmantes incautauerunt, uidelicet quod recipio in meam comendam et deffensionem ipsum monasterium tam fratribus, possessionibus et cum uniuersis aliis que ad ipsum pertinent et pertinebunt. Mando etiam quod homines sui in hereditatibus eiusdem cenobii commorantes non respondeant alicui de furto, homicidio, rauso, fossadaria aut fazendaria seu de aliqua calumpnia uel foro regio nisi abbati uel priori uel illis qui res eiusdem monasterii de mandato illorum tenuerint. Excuso etiam res suas de portatico per totum regnum meum ad idem monasterio uenturas uel ab ipsis fratribus in partem aliam latas. Et mando quod ipsi et homines sui securi et in pace transeant per totum regnum meum ad quamcumque partem ire uoluerint et illam eandem libertatem eis perpetuo confirmo quam auus meus imperator et pater meus eis dederunt et testamentis suis confirmauerunt. Hoc autem eis facio ob remedium anime me et animarum patris mei et auorum meorum et quia in orationibus et obsequiis que in eodem loco Deo iugiter exhibentur partem eo largiente desiderio prohiberi. Siquis igitur tam de meo genere quam de alieno hanc eis cartam infringere aut uiolare modo aliquo aptemptauerit iram Dei habeat omnipotentis et regiam indignationem incurrat, et siquid inuaserit in triplum restituat et pro ausu temerario regie parti im penam mille morabitanos persoluat. Carta suum robur imperpetuum obtinente. Facta carta apud Compostellam, Xº kalendas marcii, era Mª CCª XXXª VIª. Ego rex domni Adefonsus una cum uxore mea regina domna Berengaria hanc cartam quam fieri iussi roboro et sigilli mei appositione confirmo. Petro tercio, compostellano archiepiscopo. Martino, legionensis episcopo. Johanne,

ouetensis episcopo. Lupo, astoricensis episcopo. Martino, çamorensi episcopo. Gunsaluo, salamantino episcopo. Martino, ciuitatensis episcopo. Sede cauriensis uacante. Ruderico, lucensi episcopo. Rabinado, mindoniensis episcopo. Adefonso, auriensis episcopo. Petro, tudensi episcopo. Comite Gomez tenente Trastamar, Montem Rosum, Montem Nigrum et Sarram. Comite Froyla tenente Bergidum. Gunsaluo Nuniz tenente Asturias. Poncio Uele tenente Extrematuram. Fernando Guterret tenente Taurum et Castrum Nouum. Gunsaluo Iohannis tenente Limiam et Lemos. Alvaro Pelaez tenente Astoricam. Fernando Garsie, regis maiordomo. Munione Roderici, regis signifero. Pelagius Subredina tenente Sanctum Pelagium de Lodo. Petro Fernandi de Uaniuide, regine domne Berengarie maiordomus. Roderico Fernandi tenente Triues et Caldelas. Froyla, domini regis notarius scripsit. Domno Petro Uelle, cancellario.

Nulli igitur omnio hominum liceat hanc mee innouationis cartam infringere uel ei ausu temerario contrayre, quod qui presumpserit iram Dei omnipotentis et regiam indignationem incurrat et quantum inuaserit duplo componat et pro ausu temerario regie parti in penam mille morabitos persoluat.

Facta carta apud Cruniam II die julii, era M<sup>a</sup> CC<sup>a</sup> LX<sup>a</sup> VI<sup>a</sup>.

Bernaldo existente compostellano archiepiscopo. Johanne, ouetensis episcopo. Roderico, legionensis episcopo. Nunone, astoricensis episcopo. Martino II çamorensis episcopo. Pelagio, salamantino episcopo. Michaele, ciuitatensis episcopo. Petro, cauriensis episcopo. Laurentio, auriensis episcopo. Stephano, tudensis episcopo. Michaele, lucensis episcopo. Martino, mindoniensis episcopo. Infante domno Petro, existente maiordomo domini regis tenente Legionem, Taurum, Çamoram, Extremadura, Trasserram et Limiam. Domno Roderico Fernandi, signifero domini regis, tenente Ouetum, Astoricam, Maioricam et Beneuentum. Domno Roderico Gomez tenente Montem Rosum, Monte Nigrum et Transtamar. Domno Fernando Guterrez tenente perticam Sancti Jacobi.